

Item interrogatus an huiusmodi perfeccionem habuerit ex suis meritis vel solum ex gracia dei, dicit, quod tantummodo ex gracia dei, quia omnes angeli et omnes sancti non possent mereri talem gratiam perfeccionis, in qua ipse fuerit, sed solum ex gracia divina.

Item interrogatus de tercio articulo in Clementinis, qui incipit: *quod illi, qui sunt* etc. respondit, *quod existentes in predicto gradu perfeccionis et spiritu libertatis non sunt subiecti humane obediencie nec ad aliqua precepta¹⁾ ecclesie obligantur*. Alegavit ad hoc dictum Pauli²⁾, quod filii viventes spiritu non sunt sub aliquo precepto legis, quia sunt liberi et soluti.

Item eciam respondit, quod, si aliquis inhibuisset eum facere, in quo delectabatur, talem hominem poterat interficere, eciam mille homines sine peccato, quia, si deo displicuisset, eum precavisset³⁾.

Item interrogatus de quarto^{a)} articulo, qui incipit: *quod homo ita potest* etc. respondit, quod stans in predicto gradu^{b)} perfeccionis et spiritu libertatis, spiritualiter ita possit apprehendere *finale beatitudinem secundum omnem gradum perfeccionis in presenti sicut habebitur in vita beata*, sed essentialiter huiusmodi beatitudinem non potuerit apprehendere, sed tantum enigmatem et speculo, sed non facie ad faciem⁴⁾.

Item dicit eciam, quod existens in tali gradu perfeccionis et spiritu libertatis ita indistincte et indifferenter est unus cum deo et deus unus cum eo, quod nuncupat se fratrem Christi per gratiam et, quod deus est per naturam, hoc ipse foret et esse posset per gratiam, et nominat se fratrem Christi, ut prefertur.

Item interrogatus de quinto articulo, qui incipit: *quelibet^{c)} intellectualis natura* etc. respondit, quod anima rationalis, si quam habeat beatitudinem, eam habeat a deo et non a se ipsa et quod eciam indiget lumine glorie eam elevante ad deum.

Item respondit super sexto articulo, qui incipit: *quod se exercere in actibus virtutum* etc. respondit, quod existens in gradu perfeccionis et spiritu libertatis non indigeat, quod *se exerceat in actibus virtutum*, cum iam attigerit gradum perfeccionis et spiritum libertatis et sit inpeccabilis, sed *se exercere in actibus virtutum sit hominum nondum perfectorum et quod homo perfectus licenciat^{d)} a se virtutes* per hunc modum, cum non indigeat eis.

a) quarta P b) statu H c) quilibet P d) licenceat P.

¹⁾ *Im Erfurter Verhör folgt vel statuta (bzw. statuta seu precepta).*

²⁾ *Nicht wörtlich, s. o. S. 542.*

³⁾ *Vgl. oben S. 545.*

⁴⁾ *1. Cor. 13, 12.*